Fragmentarium

maiorem reformem vitam meam. exinanitio
mea fecit in qua me misit; dilectio autem quisque
vivat propter me. participatio facit qua
manducat me; Ego utique humiliatus vivo
propter patrem. ille erectus vivit propter me;
Si autem ita dictum est. vivo propter patrem. quia
ipse de illo non ille de ipso est. sine detrimento
aequalitatis dictum est; Hic est panis
qui descendit de caelo. ut illum manducando
vivamus. quia aeternam vitam ex nobis habe-
re non possumus; Non sicut manducaverunt
patres vestri manna. et mortui sunt;
Qui manducat hunc panem. vivet in aeter-
num; Quod ergo illi mortui. ita vult intellegi.
ut non vivant non hic temporaliter. sed ibi
in aeternum; Et discipuli eius dixerunt.
Durus est hic sermo; Quis potest eum
audire. Illi enim intellexerunt ex more
hominum. quia dominus Iesus hoc disponebat ut
carnem qua indutus erat verbum veluti con-
cisam distribueret credentibus in se; Durus
est inquiunt hic sermo; Sciens autem Iesus
apud semetipsum quia murmurabant de
eo; Sic enim apud se ista dixerunt. ut ab illo
non audirentur; Sed ille qui illos noverat
in se ipsis audiens apud semetipsum. res-
pondens ait; Hoc vos scandalizat. quia
dixi carnem meam do vobis manducare
et sanguinem bibere. Si ergo videritis
filium hominis ascendentem; hinc solvit
quod illos noverat; Illi enim putabant eum
erogaturum corpus suum. ille dixit se
ascensurum in caelum utique integrum.

Cum videritis filium hominis ascendentem.
certe vel tunc videbitis quia non eo modo
quo putatis erogat corpus. nec gratia eius con-
sumitur morsibus; Sequitur. ubi erat prius.
Nam quid filius hominis in caelo prius erat
quam in terra esse coeperit. Loquitur in alio
loco; Filius inquit hominis qui est in
caelo; Quo pertinet nisi ut intelligamus
unam personam esse Christum deum et hominem. non
duas. ne fides nostra non sit trinitas sed
quaternitas. Christus ergo unus est. verbum ani-
ma caro. unus Christus filius dei et filius homi-
nis; Secundum unitatem personae in caelo erat.
quando in terra loquebatur; Sic erat filius
hominis in caelo in unitate. quomodo
dei filius erat in terra in suscepta car-
ne; Quid est ergo quod adiungit; Spiritus est
qui vivificat. caro non prodest quicquam.
Quomodo dictum est scientia inflat. id
sola sine caritate; Ideo adiungit;
Caritas vero aedificat; sic etiam nunc sola
caro non prodest quicquam; Accedat spiritus
ad carnem; Quomodo accedit caritas ad
scientiam. et prodest plurimum; Nam si
caro nihil prodesset. verbum caro non fieret; So-
nus autem verbi ut stilus aut conscriptio
opera carnis sunt. sed agitante spiritu tam-
quam organum suum. Spiritus ergo est qui vivifi-
cat. caro autem secundum intelligentiam eorum
qui dominum dare carnem suam ad mandu-
candum aestimabant. Iam non prodest
quicquam; Ergo spiritus est qui vivificat.
Spiritus enim facit viva membra. quae vel illis

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.60, 2v – Collection of homilies
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-q7xe/5101/48673)